

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-tertiâ mensis Decembris, Anno Domini M. DCC. LVII.

M. JOANNE MACMAHON,
Antiquo Exercituum Regis & Nosocomiorum Militarium Medico Regis Consiliario & Regiæ Scholæ Militaris Medico ordinario, Doctore Medico, Præside.

An in acutis dolente capite Saphenæ Sectionem tardare malum?

I.



QUEMADMODUM quibus procul negotiis, sanâ mente, in corpore vegeto, frui datum est, lætissimus brevisque effluit dies; ita lentè admodum & tardo gradu decurrit si tristibus anxii curis, viribus destituti gravi laborantes decumbunt morbo. Infelix sanè hominum genus cui longè plures insidiantur morbi

quàm famulantur partes: infeliciùs cui raró levis armaturæ simplexque occurrit debellanda ægritudo. Ast plurimi quasi catervatim impetum faciunt aut insidiantur, suis ut junctis viribus machinam humanam cutiùs labefactent. Unaquæque pars fit sedes & labyrinthus malorum inextricabilis, solius Hippocratis filo resolvendus, quoties viæ in ægrorum salutem adeò solerter inventæ, operibusque immortalibus conscriptæ Clinicus sedulò insistet. Quis enim morbos accuratiùs descripsit, de illorum sorte veriùs vaticinatus est, curationem feliciùs absolvit? Simplicium morborum numerum indefinitum fatentur Medici, compositorum quis assignabit? Quis morbum acutum multis aliis implicari inficias ibit? Nonnè febris quæ præcipuas strages edit, pejoraque molitur, primarum viarum infarctu gignitur? Nonnè sibi semper comites adjungit, tensionem, erethismum, dolorem &c? Quemadmodum nihil acuto morbo complicatius, sic nihil peracuto periculosius. Nullus sua tempora percurrit velociùs. Ille stridentis, hic subitò furentis adinstar procellæ fugientem ratem conquassantis, machinam humanam lacessit, brevique naturæ viribus potentior, neglectis Medicinæ auxiliis ad interitum protrudit. Quempiam ubi corripuit, subvertuntur omnes functiones, membra inertia & veluti prostrata resolvuntur morbidâ vi. Sanguis in corde fortiùs frequentiùsque contracto æstuans in omnes partes impetum facit & eas immodico torret calore, tota cutis exsiccata adurit tactum, respiratio cita, anhelosa & sublimis est, arescunt os, nares; aspera lingua sorditie & nigredine squallet, vix aridæ fauces humectantur. Nauseâ, vomitu, singultuque torquetur æger, valido & gravi excruciatur dolore & auxietate circà stomachum, alvi dejectiones retinentur. Urinam tenuem, parcam, rubram, flammeam mingit. Perspiratio vix ulla, pulsanti dolore gravatur caput, turbatur somnus: cum febris deferbuerit profundus gravisque sopor obrepit. Excandescente febre portentosa rerum simulacra sensibus & menti sese objectant, quibus continuò succedit mentis alienatio, delirium; tendinum accedunt subsultus, non caput modò sed & artus ipsi saltu quodam à tremore diverso invitis ægrotantibus jactantur. Labia, lingua convulsionibus agitantur, oculi fixi, scintillantes lacrymas sponte fundunt, sanguinis stillicidia par nares, alvum, renes, ad hæmorrhagiam usque sæviunt, in hominibus per hæmorrhoïdes, in mulieribus per uterum.

II.

VIX ullum morbum acutum absque dolore capitis reperias. In primariis citiùs, in secundariis tardiùs grassatur. Ut inflammationum dolor & febris, sic febrium acutarum

inflammatio & dolor ſunt individui comites (*a*). Utriſque præbet anſam immoderata ſanguinis quantitas primarum viarum ut plurimùm inquinata ſordibus. Illâ vires opprimuntur, his ſollicitatur, irritatur, tenditur, anguſtatur totus humorum alveus, acceleratur ſanguinis motus, rareſit, exſiccatur. Aucto circuitu circumactus & veluti expreſſus heterogeneus humor undique tentat exitum, ad imbecilliores partes appellit eò graviora inflicturus mala, quò debiliores ſimulque magis vitæ neceſſariæ partes infeſtantur. Nulla in corpore pars eſt cerebro nobilior (ſenſuum namque & motuum ſedes eſt) nulla mollior, nulla præter corpus calloſum, medullam oblongatam & ſpinalem inſenſilior. Hujus ſubſtantiam vix reſiſtentem facilè ſubit preſſus undique ſanguis; congeritur ſtagnat, brevique, graviori mole obrueretur tota cerebri moles niſi ſociâ inflammatione tentaretur dura mater. Hæc membrana (*b*) exquiſitiſſimo ſenſu prædita lancinanti, & pungitivo dolore diſtenta cerebri congeſtionem indigitat Medico. Hæc autem ſuprema corporis pars pro molis ſuæ propriique uſûs ratione quàm cæteræ partes copioſiori ſanguinis irroratur quantitate. Sextam (*c*) enim partem purpurei laticis ſingula cordis contractione eructati admittit cerebrum; ſextâ etiam parte quantitatis motûs à corde impreſſi arteriarum carotidum & vertebralium parietes diducuntur in ſtatu naturali. Cerebri vaſorum multitudine, tenuitate & inflexibus magis ac magis obtunditur ſanguinis impetus. Poſtquam enim cranium ſubierunt vaſa, in ramos dividuntur totam ejus peripheriam ambientes. Hi ramulis ortum præbent qui ſubſtantiam cerebri pervadentes externam ſuam deponunt membranam, inflectunturque ſic denudati in omnes gyros & anfractus cerebri, donec in lymphatica, hæc in ſpirituoſa vaſa & in venas commutentur (*d*). In febribus autem augetur ſanguinis motus, arteriæ cerebri fortiorem experiuntur preſſionem, magis dilatantur arteriolæ, preſſio lateralis major eſt, majori appellente ſanguinis quantitate, quam quæ revehitur ad cor, oppletur caput, comprimitur dura mater à centro ad circumferentiam impeditur egreſſus ſanguinis per ſinus in ſuâ ſubſtantiâ excavatos effluxuri, ut & ingreſſus per arterias eam pervadentes. Sic diſtenditur, ſenſu torquetur moleſto & inflammatur hæc membrana. At vero quò promptior eſt ſanguinis in cerebro congeſtio, eò lentior eſt reſolutio. Eodem doloris gradu

(*c*) Helvetius æcon. anim. tom II. Lettre 5. pag. 182.

(*d*) Boerh. inſt. Med.

(*a*) Quos acuto morbo exſtinctos ſecuit Hoffmannus, eos inflammatione aut ſphacelo in cerebro aut ventriculo tentatos obſervavit.

(*b*) Vid. Theſ. *an ut ſenſibilitas, ſic & irritabilitas à nervis?*

fæviente, nulla pars in inflammationem, gangrenam & ſphacelum abit citiùs quàm cerebrum. In acutis inſtant momenta, in peracutis urgent. In his & illis venæ ſectio celebretur, ſed non indiſcriminatim. Sanguinis miſſionem poſtulat ejus adaucta moles, iteratam præſcribunt affectæ partis excellentia & magnitudo morbi. Nullum præſtantius remedium excogitarunt Medici, nullumque ſaphenæ ſectione tutiùs præſertim cum mali ſedes caput occupat. Cunctatio ſcelus eſt, principiis obſtare præcipit Hippocrates.

III.

TRIPLICIS generis eſt capitis dolor in morbis acutis, idiopathicus, ſympathicus & ſymptomaticus. Primas ſtrages edit in phrenitide & apoplexiâ. In hâc omnes ſenſus & motus, exceptis reſpiratione & cordis motu abolentur. In illâ delirium eſt univerſale cum febre, magno æſtu, carotidum pulſatione, dolore capitis irrequieto, tremore, convulſione. Pro ratione ſenſibilitatis & conſenſûs cum capite dolorem gignunt cæterarum partium inflammationes. Tantus eſt ventriculi & inteſtinorum cum capite conſenſus, & capitis reciprocatio, ut horum depravatæ functiones mœrorem, triſtitiam, mentis alienationem, capitis dolorem, delirium, procreent. Vix inflammatione tentantur quin vicinæ partes non modò eadem inficiantur, febris acutiſſima inſurgat, pulſus fiat durus, contractus, frequens, reſpiratio difficilis cum ſingultu, vomitu, convulſionibus, alvi conſtrictionibus, ſed ad caput uſque citò propagetur. Ubi duram matrem ſpaſmus corripit, cibi faſtidium, tormina & anxietates exercent præcordia; inflammatione, aut ab inflicto vulnere fauciata, adeò ventriculum in conſenſum rapit, ut vomitus cieatur, fæces alvi & urina intercipiantur. Inflammationes renum & veſicæ atrociſſimis doloribus ſtipatæ ad cerebrum uſque protenduntur. In inflammationibus hepatis, lienis ut plurimùm, in peripneumoniâ, pleritide plerumque, in anginâ exquiſitâ ſemper adeſt capitis dolor. In febribus continuis, ardentibus, exacerbantibus, malignis, eruptivis, ſymptoma præcipuum eſt capitis dolor. Febres continuæ calorem excitant, exacerbantes ignem ſuccendunt, ardentes incendio, tenſione, dolore & inflammation caput excruciant. Malignæ febres alkalinæ (a) & corroſivæ materici ſoboles caput

(a) Obſervarunt Hipp. Epid. lib. 3. ſect. 3. Galen. de febr. differ. lib. 1. cap. IV. Diodor. Sicul. Biblioth. Hiſt. lib. XIV. cap. LXX. Profp. Alp. de Medic. Ægyptiorum. Dapper. in deſcriptione Africæ. Foreſt. obſerv. lib. VI. Julius Alex. de Bello Punico. Oroſii liv. V. Kirker in Scrutinio peſtis, peſtem ortum ducere à putrefactione ſtagnantium aquarum, corruptorum corporum aëri peſtiferam vim & naturam communicantium; eadem procreare corrupta alimenta. Hoffm. contendit in lib. de origine peſtis, ſic & omnes febres a putrefactione gigni.

obsident, cum ingenti virium prostratione, delirium, inflammationem, abcessum & gangrenam brevi alliciunt. In eruptivis febribus non modò sanguis septicâ & deleteriâ vi contaminatus omnes humores coinquinat, sed & solida corrodit, exulcerat. In exanthematicis, scarlatinis, prodeunt papulæ morsibus pulicis simillimæ cum pruriginis sensu. In morbillis asperitates cutis, in variolis innumeræ pustulæ corpus occupant. In peste bubones, parotides, febres putridæ, &c. eò infensiores fiunt hi morbi quò ad caput cum dolore, delirio, comate & phrenitide cientur sanguinis impetus. In salutem, alium morbum aut mortem terminari communis est omnium morborum exitus. Nunquam periculo vacat capitis dolor. Quoties in principio morbi apparet, gravissimum morbum portendit. Nulla est inflammatio tanti momenti quàm inflammatio cerebri. Phrenitici moriuntur penè omnes (*a*). Convulsio ex capitis vulnere, lethalis (*b*). In Phreniticis convulsiones proximum exitium significant. (*c*). Doloris acerbitas in jugulo paulisper fixa, si ad superiores vertatur, mortiferum affert malum (*d*). In ægri perniciem tradit operam angina. In hâc qui abs re prorepunt dolores ad caput cum febre sunt desperatæ salutis (*e*). A Peripneumoniâ delirium malum (*f*). Ab ileo malum (*g*). Dolores capitis continui & vehementes cum acutâ febre, lethales. In febribus acutis convulsiones & circà viscera dolores fortes, malum (*h*). In malignis (& in eruptivis) febricula cum comate & capitis dolore, mortifera (*i*). His in febribus morbi & naturæ insultus eo conspirant ut simul sanguinis defæcationem per cutis poros absolvant. Retento vel retropulso veneno ad omnia serpit viscera. In exanthematicis febribus delirium periculosum (*k*). A peste sine eruptionibus lethale. In omnibus morbis convertatur attentio Medici oportet, ut præsentia moderetur, compescat aut profligat symptomata, præcaveat futura, metastases avertat.

(*a*) Hipp. 3. Epid. sect. 3. ægr. 4. & Epid. 1. ægr. 4.
(*b*) Hipp. Aph. 2. sect. 5.
(*c*) Galen. 12. meth. cap. ultim.
(*d*) Hipp. 1. Coac. 1. c. 1. Aph. 76. c.
(*e*) Hipp. Coac. de angin. Aph. 11.
(*f*) Hipp. Aph. 24. sect. 11.
(*g*) Hipp. Aph 4. sect. 5.
(*h*) Hipp. Aph. 66. sect. 4.
(*i*) Coac. sect. ult. Aph. 43.
(*k*) Hoffm. de febribus, Epid. & Exanthem.

IV.

VENÆ sectionis inventionem arroget sibi felix antiquitas, summum perfectionis gradum arti imposuisse nostra gloriabitur ætas. In inflammatione singularum partium peculiarem secandam esse venam existiment veteres. In cephalalgia, cephalea, præparatam, jugularem, cephalicam aperiant venam. In ophtalmiâ ipsam oculi venam, angularem, ocularem, arteriam & venam temporalem tundant: in anginâ raninam; in febre quartanâ salvatellam, in peripneumoniâ, pleuritide & inflammationibus viscerum abdominalium suprà renes ejusdem brachii venam; quin & Popliteam & saphenam utramque, in doloribus in-

frâ renes secandam opinentur. Nos circulatione sanguinis edocti praxim cum theoriâ conciliantes, morbos acutos venæ sectionibus colli, brachii & pedis curandos profitemur. Quodnam morbi genus, ad hanc venæ sectionis electionem potissimùm excitavit Medicorum industriam? In morbis acutis capitis dolor. Inter recentes plurimi præjudicatis opinionibus inhærentes sanguinem è brachio fundunt primò, saphenæ sectionem multò post habent. Neoterici (a) autem incipiunt à saphenâ & jugulari finem faciunt. Quid in apoplexiâ, phrenitide, anginâ, febribus continuis, ardentibus, malignis, eruptivis saphenæ sectione efficacius? Omnium est venæ sectionum sanguinis quantitatem evacuare, plethoram utramque vincere, solius autem saphenæ partes superiores exonerare. Vix enim in apoplexiâ, phrenitide & anginâ celebratur, quin non modò membra gravi obruta dolore, sanguinisque pondere prostrata statim subleventur, pro ratione sanguinis à corde excepti; solidorum torpor exsuscitetur, distensio obtundatur, calor extinguatur, inflammatio sedetur, contractiones cordis & arteriarum æquabiliores efficiantur, circulationis circuitus infringatur; sed & depletionem specialem inferat capiti, copiam accedentis sanguinis detrahat, impetum coerceat, vasa mox disrumpenda exoneret, fugiant dolores, sensuum emporium redintegretur, partium vicinarum inflammationes, oculorum, aurium, faucium evanescant. Hâc incœptâ, eodem remanente cordis momento, à sectione ad cor tollitur impedimentum. Sanguine per aërem liberè transfluente liberiùs excurrit per totum venæ tractum & uberiùs effluit, acceleratur motus sanguinis per totam arteriam venæ continuam, pressiones in vasorum parietes exeruntur impares à sectione ad cor (b). Derivatus sanguis ad hanc arteriam in tibiali, crurali, iliacâ & aortâ fluentem invitat, fluxurum autem ad caput deviat atque revellit. Eò efficacior operatur revulsio, quò major sanguinis quantitas educitur per amplum vulnus cum majori velocitate. Hujus theoriæ fundamenta jecit Hippocrates (c). Revulsio à supernis deorsùm, ex infernis sursum, ait. Hanc prædicavit doctrinam Galenus (d). Affectâ parte supernâ, ex infernâ educatur sanguis inquit. Maximè conferre venarum pedis phlebotomiam in ægritudinibus, quæ fiunt in arteriis ad caput declinantibus, dicit Avicenna (e). Sectione saphenæ sanguis à partibus superioribus ad inferiores trahitur, quare valet... in capitis passionibus, maximè in repletis ad divertendam materiam ad oppositum, juxtà Jacobum de partibus (f), eadem recinunt Fernelius (g), Varandæus (h), Bellini (i)

(a) Sylva D. M.P. Traité de la Saignée.
(b) Sylv. opus cit.
(c) Lib. de humor. purg. & lib. de natur. ossium.
(d) Ad Glauconem.
(e) Lib. 1.
(f) In summulâ.
(g) Meth. medendi.
(h) De indication. curatoriis part. 2.
(i) De sanguinis missione.

Riverius (*k*). In febribus continuis, ardentibus quid ut ab eâ incipiamus obstat? Nonne vigens Plethora calore febrili sanguinis expansa moles ejus detractionem expetunt? Nonne hanc cerebri imbecillitas & ad inflammationem proclivitas indigitant? In febribus malignis si quis ad eam tanquam ad anchoram salutis confugere recusaret, certissimis observationibus D. Chirac (*l*) & Pringle (*m*) confidat. Ille inflammatum cerebrum, hic suppuratum ut plurimùm detexit. In eruptivis, scarlatinis, morbillosis, variolis (*n*) & pestilentialibus febribus quis non vereatur materiæ morbificæ ad cerebrum translationem? Ab imminenti periculo servat saphenæ sectio. Quid eruptioni favet magis? Flexibilitatem conciliat cuti, arteriis vim systalticam restituit; sanguinis motus acceleratur, uberior perspiratio promovetur, heterogenea materies comminuitur, & ad corporis peripheriam propellitur. Quantum saphenæ sectio in assignatis morbis amica prodest, tantùm in inflammationibus abdominis vigente Plethora inimica officit. Derivatur namque in collateralia vasa cruor eò magis, quò à corde remotiora sunt. Pauperatâ autem sanguinis mole derivatio lateralis ferè nulla est. Immoderatum sanguinis fluxum ab inferiori aortâ procedentem auget. Cane & angue pejorem fugiatur quoties ab inanitione prostrantur vires, syncopen citò lethalem accersit.

(*k*) Inst. Med. lib. 3. part. 1. sect. 2. cap. 2.

(*l*) Opus posthum.

(*m*) Observ. sur les maladies d'Armées.

(*n*) Sylva, Traité de la Saignée, t. 1. ch. 11. p. 336. Hoffmannus, t. 3. sect. 1. cap. IX. de venæ sect. aliisque sanguinem trah. modis.

V.

TRIPLICI beneficio etiam pro ratione capitis quamcunque præstare venæ sectionem evacuatione, derivatione & revulsione immeritò objicient adversarii. Venæ brachialis sectio generalem humorum copiam evacuat quidem majorem sanguinis quantitatem ad sectionis locum allicit & ab inferioribus partibus revellit, mirè confert ad solvendas inflammationes abdominis, immoderatum sanguinis fluxum ab inferiori aortâ sistit, at nedum hâc sanguis è capite educatur, contrà ad illud propellatur. Triplex est venæ sectionis è brachio cum ligatura respectus. Alius ante sectionem, alius in sectione, alius post sectionem. Primo quidem tempore non modò turget vena infrà ligaturam, sed & arteria suprà ligaturam. Resistentia propè ligaturam major est & ad cor usque decrescit. Motus sanguinis propè ligaturam tardior acceleratur in ramis superioribus. Nisus in parietes præcipui vasis eò majores sunt quò à ligaturâ propiores, ejusdem ampliatur capacitas secundùm totam suam longitudinem. Quantitates, velocitates & nisus in vasorum lateralium orificia eò magis crescunt quò à ligaturâ propiores sunt. Fit derivatio in collateralia vasa. Sublatâ resistentiâ sanguinis circuitui oppositâ, phœnomena con-

traria in vena contingunt; in arteriâ autem partim perſeverant perſtante eodem obice. Clauſâ venâ iidem ac ante ſectionem obtingunt effectus. Quis non videt ejuſmodi incommodis liberari ſaphenæ ſectionem? Nullatenùs enim comprimuntur arteriæ peronariæ & tibiales, duarum malleolarum & Achillei tendinis beneficio; quin rarefactus ſanguis aquæ tepore adeò copiosè ad inferiores partes ruit, ut alvi ſolutionem imò ſyncopen non ſemel promoveat. Hippocratem venæ præparatæ ſectionem commendaſſe parte poſteriore capitis laborante; (a) Alexandrum Trallianum Phrenitidem eadem mirificè ſanaſſe, nihil ad nos. 1°. Veteres arbitri quæſtionis minimè legitimi ſunt, ut potè qui genuinam inflammationis naturam & determinatum ſanguinis motum intra vaſa ignorabant, derivatione partium dolores ingeminabant. 2°. Ipſe Trallianus (b) & Hoffmannus (c) ut præparatæ ſectione abſtineamus vigente Plethorâ, aut ſpaſmis vehementioribus præcipiunt, in melancholicis ſolummodò celebrandâ. In inveteratis capitis doloribus ex ipſâ affectâ parte ſanguinem mittendum volunt Oribaſius (d), Actuarius (e), Aëtius (f). Hac enim ad caput quàm antea copioſiùs advolat ſanguis, ſi ejus appulſu non eluatur inflammationis agger, nec obicem tranſcendere queat, nedum remittat dolor, crudeliter recrudeſcit.

(a) Sect. 5. Aph. 68.
(b) Lib. 1. cap. 13.
(c) Tom. 3. ſect. 1. cap. 9. de venæ ſect. aliiſq. ſanguinem.
(d) Synopſ. l. 1. cap. 10.
(e) Meth. Med. l. 3.
(f) De atrabile lib. 1. ſect. 5. cap. 12.

Ergo in acutis dolente capite ſaphenæ ſectio[illegible] tardare malum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Henricus-Jacobus Macquart.

M. Petrus-Abrahamus, Pajon de Moncets, Eques.

M. Theodorus Baron, utriuſque Pharmaciæ Profeſſor, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, nec non Regius Librorum Cenſor.

M. Theophilus de Bordeu, Eques, Noſocomii Regii & & Militaris Baregienſis Medicus deſignatus.

M. Claudius-Thomas-Guillelmus Guilbert de Préval.

M. Andreas Cantwel, Regiæ Societatis Londinenſis Socius, & Chirurgiæ Gallico idiomate Profeſſor deſignatus.

M. Amabilis Chomel, Conſiliarius Medicus ordinarius & Noſocomii Regii Quebecenſis. Medicus ordinarius.

M. Jacobus Gourlez de la Motte.

M. Benjamin-Ludovicus Lucas, de Laurembert.

Proponebat Pariſiis, JOANNES DESCEMET, Pariſinus Saluberrimæ Facultatis Medicinæ in Almâ Univerſitate Pariſienſi Baccalaureus, Theſeos Author, A. R. S. H. 1757,

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Med. Typogr. 1757.